MAURITII DE PRAGA
Profess. Theologi.
In Constantiensi Concilio spectati viri,

TRACTATUS II.

contra
LIBRUM JACOBI DE MISA,

DE COMMUNICATIONE CALICIS IN PLEBE CHRISTIANA,

In Constantiensi Concilio, publica illius autoritate scriptus atque publicatus.
Ex antiquissimo Codice MSC.
CÆSAREO VINDOBONENSI.

LIBER I.

JACOBELLI, s. JACOBI de MISA,
DEMONSTRATIO

Per Testimonia scripturæ, Patrum atq; Doctorum, *Communicationem calicis in plebe Christiana esse necessariam.*

Sub Constantiensi Concilio A. 1415. edita, ac supra *Parte XV. f.* 416. ab eodem allegata.
A Mauritio de Praga suæ illius Refutationi hic inserta.

CAP. I.

Dicta Scripturæ, pro Communione calicis in plebe Christiana, à Jacobello proposita.

A*Ugustinus, De videndo Deum:* Fieri nullo modo potest, ut hæc sacrarum literarum auctoritas ex aliqua sui parte mentiatur &c.

Item *Augustinus, super Pater noster.* Siego quicquá dixero, nolite credere ex hoc. Sed si Christus dicit, væ qui non credit. Imò væ *generationi* adulteræ, quæ plus credit testimonio alterius quàm Dei &c.

Beda, in *homilia infra octavam Ascensionis*, Cùm venerit: Perfectæ vitæ magisterium est, ecclesiæ primitivæ semper actus imitari.

Et *infrà:* Nec dubitandum, quin, quorum nunc vestigia sequimur, ad eorum sumus in futuro præmia venturi, &c.

Auctoritates Evangelii, Doctorum, Canonum, & ecclesiæ, quæ docent sacramentum corporis & sangvinis Domini nostri Jesu Christi omnibus Christi fidelibus sub utraque specie panis & vini ministranda, debent manere usq; in diem judicii, *Libro I. de symbolo.*

Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XII. Cœnantibus autem illis, accepit Jesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes. Hic est calix meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. &c.

Johannis VI. Dixit Jesus discipulis suis & tur-

& turbis Judæorum: Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis.

Ubi *glossa*: Usque modo non fecit mentionem de comestione sacri altaris. Et si ignoretis quis modus sit dandi vel manducandi, subdit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sangvinem &c.

Et infra super verbo *Qui manducat*, dicit *glossa*: Quidam sancti exponunt de comestione altaris. Et bene dicunt. &c.

Paulus 1.*Cor. XI.* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Quotiescunque enim manducaveritis panem hunc & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Et *infrà*: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. &c.

CAP. II.

Testimonia Patrum pro Communione laicali sub utraque.

Augustinus, Libro Sententiarum Prosperi, & in Canone, *De consecratione, dist.c.*37. *Cùm frangitur*, dicit: Cùm frangitur hostia, dum sangvis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sangvinis de latere effusio designatur. &c.

Augustinus Libro de Trinitate, & canone *De consecratione dist.*2. Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando carnem & sangvinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus &c.

Augustinus: Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem & contritionem, jam in nomine Christi, tanquam ad calicem venistis, & ibi vos estis in mensa & in calicè nobiscum. Simul enim hæc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus. *In quodam sermone*, & in can. *De Consecr. dist.*2. *Quia passus &c.*

Augustinus: Quicquid vis feceris, &c. Numquam Christum occidisti? Non est isto peccato aliquid aliud pejus. Quia Christo nihil est melius. Quantum est nefas occidere Christum? Judæi tamen occiderunt & multi post in eum crediderunt, & ejus sangvinem biberunt, & dimissum est illis peccatum, quod commiserunt &c.

Augustinus: Qui calicem, id est sangvinem Christi, per se ponit, quasi aliam gratiam à mensa, id est à carne Christi, ponit. Cùm tamen caro sine *sangvine*, *nec sangvis* sine carne possit esse vel sumi. Nec ibi duo sunt sacramenta, sed unum. Sed nec caro est sangvis, nec sangvis est caro. Et panis in carnem convertitur, & vinum in sangvinem, & non è converso. Et sub diversis speciebus utrumque sumitur. Ideò mensam & calicem hic distingvit, velut diversas gratias. *Super Psalmo XXII. in glossa ordinaria. &c.*

Augustinus: Tunc eis annunciat Petrus eum colendum, quem crucifixerunt, ut ejus jam sangvinem biberent credentes, quem fuderant sævientes. *Libr. de utilitate agendæ pœnitentiæ*, & in can. *De consecr. dist.* 2. *Tunc eis* &c.

Augustinus: Hujus rei sacramentum in unitate corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, & quibusdam ad exitium. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Hanc ergo non habent, qui istum panem non manducant & istum sangvinem non bibunt, *Homil.* 23. super illo verbo: *Nisi manducaveritis.*

Augustinus: Accesserunt Judæi ad Jesum, ut crucifigerent eum. Nos accedemus, ut corpus & sanguinem ejus capiamus. Iterum vere magnus Deus & magna misericordia ejus, qui dedit nobis manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem suum bibere. *In psalmo* 33. *homil.* 3.

Item *in Psalm.* 98. *ad Judæos.* Jam securi bibite sanguinem, quem fudistis. Habetur in canone *de consecr. d.* 2. *Accesserunt Judæi.*

Augustinus: Et quia istam mensam paravit servis suis & ancillis in conspectu eorum,

eorum, ut quotidie in similitudine corporis & sangvinis Christi, panem & vinum secundum ordinem Melchisedech ostendendo, nos cibaret in sacramento. *In sermone* qui incipit: *Circulo consecrato, anno revoluto.*

Hieronymus: Sacerdotes, qui eucharistiæ serviunt, & sanguinem ejus populis dividunt in legem Christi, putantes, eucharistiam imprecantis verba facere, non vitam, & necessariam esse tantum solennem orationem, & non sacerdotum merita. De quibus dicitur: Sacerdos in quacunque fuerit macula non accedat Domino offerre oblationes. *In Sophoniam*, & habetur in *canon. 1. q. 1. Sacerdotes.*

Hieronymus. Bibere autem dicuntur sangvinem Christi, non solùm sacramentorum ritu, sed & cum sermones ejus recipimus, in quibus vita consistit. Sicut & ipse dicit Joh. VI. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. *Super Marc. c. XIV.*

Hieronymus: Ascendamus cum Domino cœnaculum magnum, stratum atq; mundatum, & accipiamus ab eo calicem sursum novi testamenti, ibique cum eo pascha celebrantes inebriemur ab eo, vino sobrietatis. Et *infrà:* Nec Moses dedit vobis panem vestrum, sed Dominus, sicut Dominus Jesus ipse conviva & convivium, ipse comedens & qui comeditur, illius bibimus sangvinem, & sine ipso potare non possumus. Et quotidiè in sacrificiis ejus de germine vitis veræ & vineæ Soreth, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus, & novum vinum ex his bibimus, &c. *Ad Pudentiam virginem, q. 2.*

Gregorius. Quid sit sangvis agni, jam nõ audiendo, sed bibendo, bene didicistis. Qui sangvis super utrumq; postem ponitur, quando non solùm ore corporis sed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poste sangvis agni est positus, cùm ore ad redemtionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Et in hoc mysterio moritur, ejusque corpus ubilibet sumitur. Cujus caro in populi salutem patitur, ejus sangvis jam non in manus infidelium, sed fidelium per ora funditur. *In homilia paschali*, & in *canone, De consecr. dist. 2. Quid sit sangvis.*

Gregorius. Unde factum est, ut redemtoris nostri sangvinem, quem persecutores sævientes fuderunt, postmodum credentes biberunt, eumque esse Dei filium prædicarunt. De quo videlicet sangvine apertè subjungitur: Terra, ne capias sangvinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. *Libr. XIII. Moralium.*

Gregorius in lib. Dialogorum. Cum quadam die missa celebrata populus communicaret, & Diaconus Christi sanguinem propinaret, subito paganorum impulsu Diaconus cecidit & calicem sanctum fregit. *Libr. Dialogorum. Et hoc legitur de S. Donato.*

Ambrosius. Quia morte Christi liberati sumus, hujus comedendo & bibendo carnem & sangvinem, memores esse debemus, in hac consequi novum Testamentum, quod est nova lex, quæ obedientes sibi tradit cœlestibus regnis. Testamentum ergo sanguine consummatum est. Quia beneficii divini sanguis testis est. Unde ad tuitionem corporis & animæ percepimus. Quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra sumitur & effusus est, sicut præfiguravit Moses, dicens: Caro pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima. Ideoque jam non manducandum sanguinem lex præcipit. *Super istud 1. Cor. XI. Quotiescunq; hoc feceritis.*

Ambrosius. Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debemus eum semper accipere. Qvi semper pecco, semper debeo accipere medicinam. *L. V. de mysteriis & sacramentis*, & in *canone De consecrat. distinctione 2. Si quotiescunq; &c.*

Ambrosius. Jam mensæ cœlestis honore suscipior, epulis meis non pluvia mittitur, non terræ laborant partus, non arbores fructus, potui meo flumina quærenda, non fontes. Caro Dei cibus est mihi, & sanguis Dei potus est mihi. Et ideo accedite ad Deum, & satiemini, quia panis est, & potate, quia fons est &c.

&c. *Super, Beati immaculati in via, psalmo* 118. *Adolescentulus sum ego &c.*

Ambrosius: Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, Petra autem erat Christus, 1. Cor. IX. Non immobilis petra, quæ populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysterium: Moses hic est Propheta, virga hæc est verbum Dei, tangit petram & fluit aqua, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est. *Et infra:* Quotiescunque bibis, remissionem peccatorum accipis, & inebriaris spiritu sancto. *L. de Sacramentis*, & in *canone, dist. 2. In calice* &c.

Ambrosius. Sicut enim similitudinem mortis assumsisti, ita etiam Christi sanguinis similitudinem bibis, ut nullius cruoris horror sit, & tamen pretium operetur redemtionis. *Libr. de sacramentis, & in can. dist. 2. de consecr. c. §§. Panis est.*

Dionysius. Postea Hierarcha, postulans dignus fieri hoc sacrificio, quod fit, & ad ipsius Christi imitationem divinam perficere, & distribuere castissime, & sacris participantes, ut convenit sanctis participare, sanctificat, & divinissima subministratione agit dicta proposita sancte signa. Etenim cooperitum & indivisibilem panem discooperiens, & in multa dividens, & unitivam calicis omnibus partiens, significative unitatem multiplicat, & distribuit, sanctissimum in istis sacrificium perficiens. Et *infra.* In istis omnibus sanctorum ornatus Hierarchiæ congregatus, dignissimis communicans, cum gratiarum actione deservit, operationem proportionabiliter cognoscens, & laudans gratias. *L. De ecclesiastica Hierarchia*, 1. *Timoth. III.*

Origenes. Dicant ergo nobis, quis est iste populus, qui in usu habet sangvinem bibere? Hi erant, qui in evangelio audientes, hi qui ex Judæis Dominum sequebantur, scandalizati sunt, & dixerunt Joh. VI. Quis potest manducare carnem ejus, & sanguinem ejus bibere? Sed populus Christianus fidelis audit hæc & amplectitur & sequitur eum, qui dicit: Nisi manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum &c. *Super illud Num. 23. Ecce populus ut Leæna consurgit, & quasi Leo erigetur, nec accumbet, donec devoret prædam & occisorum sanguinem bibat. Homil.* 16.

Hilarius: De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius domini professione & fide nostra vere caro est & sangvis est. Et hæc accepta atque hausta à nobis efficiunt, ut & nos in Christo & Christus in nobis sit &c. Ubi *Archidiaconus:* Hæc accepta quantum ad carnem, atque hausta quantum ad sangvinem, sacramentaliter, de altari, & de manu sacerdotis, *L. de Trinit.* 8. & *in canone, dist. 2. in Christo.*

Cyprianus martyr. Quanquam sciam, frater charissime, episcopos plurimos, ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione præpositos, evangelicæ veritatis ac dominicæ traditionis tenere rationem, nec ab eo, quod Christus Magister & præcepit & gessit, humana & novella institutione decedere: Tamen, quoniam quidam vel ignoranter vel simpliciter in calice Dominico sanctificando & plebi ministrando non hoc fecerunt, quod Jesus Christus Dominus noster, sacrificii hujus auctor & doctor, fecit & docuit: Religiosum pariter ac necessarium duxi, de hoc ad vos literas facere, ut siquis adhuc in isto errore tenetur, veritatis luce perspecta ad radicem atque originem traditionis dominicæ revertatur. Nec nos putes, frater charissime, nostra & humana conscribere, aut ultranea voluntate hæc nobis audacter assumere, cum mediocritatem nostram semper humili & verecunda ratione teneamus. Sed quando aliquid, Deo inspirante & mandante, præcipitur, necesse est, ut Domino servus fidelis obtemperet, excusatus apud omnes, quod nihil sibi arroganter assumat, qui offensam Domini timere compellitur, nisi faciat, quod jubetur. *Epist. 34. ad Cecilium de Sacramento Dominici calicis.*

Cyprianus ad quendam. Et quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relevatur, & tristitia repellitur, ita potato sanguine Domini &

ni & poculo salutari, expellitur memoria veteris hominis, ut fiat oblivio conversationis pristinæ secularis, & mœstum pectus aut triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur. Quod tum demum potest lætificare in ecclesia viventem turbam, si quod bibitur, Dominicam teneat libertatem. *Et infra.* Quomodo autem possumus sanguinem nostrum propter Christum fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere? Et *infra:* Sed videamus, frater charissime. Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non potest ignosci, qui nunc à Domino moniti & instructi sumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Et de hoc qvoqve ad collegas nostros literas dirigimus, ut ubique lex evangelica & traditio Dominica servetur, & ab eo qvod Christus docuit & fecit, non recedatur. *Epistola* ubi supra.

Cyprianus. Et cum ad hoc fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela: Quos igitur tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturationis armemus. Nam qvomodo docemus, aut provocamus, eos in confessione sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in ecclesia Domini poculum jure communicationis admittimus? *Epistola 3. de lapsis.*

Johannes Chrysostomus: Illud est mysterium, sine quo non est nobis salus, nec ea, quæ bona sunt nobis promissa divina, redduntur. Nemo enim valebit ingredi regnum cælorum, nisi ex aqua fuerit renatus & spiritu, Joh. III. Et qui non manducat Domini carnem nec bibit ejus sanguinem, non habebit vitam æternam Joh. VI. Quæ per nullius alius quam sancti efficiuntur manus sacerdotis. *In suo dialogo, L. III. c. I.*

Bernhardus. Benignissime Jesu, nobile satis sponsæ tuæ dotalicium indulsisti. Ut vel sic teneret columba tua dulcissimum memoriale dilecti sui. Christus enim pridie, quam pateretur, discipulis suis hujus sacramenti formam præscripsit, efficaciam explicavit. Idem præcepit fieri formæ præscriptionem, in pane & vino. Notate ordinem: Cum adhuc cœnaret, à mensa surrexit, Apostolorum pedes Dominus universitatis lavit, dehinc ad mensam regressus ordinavit sacrificium corporis & sangvinis sui, seorsum panem seorsum tradens & vinum. De pane ita dicens, Matth. XXVI. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. De vino similiter: Bibite ex hoc omnes, hic calix est Novi Testamenti &c. *In sermone ad Petrum de corpore Christi.*

Bernhardus. Ponitur igitur panis species & vini, ut doceamur, plenam & perfectam refectionem esse in sumtione corporis & sangvinis Jesu Christi. *In epistola ad Petrum.*

Beda. Non solùm lavit nos à peccatis nostris in sangvine suo, quando sangvinem suum effudit in cruce pro nobis, vel quando unusquisque nostrum mysterio sacrosanctæ passionis ejus baptismo aquæ ablutus est. Unde etiam quotidiè tollit peccata mundi, lavatq; nos à peccatis nostris quotidiè in sangvine suo, cùm ejusdem beatæ passionis ad altaria memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in sacramentum carnis & sangvinis ejus ineffabili spiritus sanctificatione transfertur, sicque corpus & sangvis illius non infidelium manibus ad perniciem eorum funditur & occiditur, sed fidelium ore sumitur ad salutem. *Super Joh. 1. Vidit Johannes Jesum venientem ad se.*

Remigius, sive *Haymo.* Ad hanc spiritualem alimoniam, ad hunc mysticum & divinum cibum, Dominus nos invitavit, eamque auctoritatem sumendi hujusmodi alimoniam nobis inducit, ut aliter in nobis vitam habere non possimus, nisi carnem ejus manducaverimus & sanguinem ejus biberimus. Et *infra.* Sed mysterium sui corporis & sanguinis quotidie à fidelibus per sacerdotum ministerium sumi mandavit rationabili sa-

li sacramento. *In homilia super illo evangelio Johann. VI. Nisi manducaveritis carnem filii hominis.*

Fulgentius. Verbum Patris, carni & sangvini, quem de utero virginis assumsit, & pani & vino, quod in altari sumitur, mediũ interveniens, unum sacrificium efficit. Quando tamen in ora fidelium sacerdos distribuit: Panis & vinum absumitur & transit, partus autem virginis cum unico suo verbo Patris & in cœlo & in hominibus integer permanet & inconsumtus. Sed in illo, in quo non est fides, præter visibiles species panis & vini nihil de sacrificio pervenit, quemadmodum asinus ad lyram, cum irrationabiles aures erigit, sonum quendam audit, sed modos cantilenæ non percipit. *Libr. de divinis officiis*, cujus prologus sic incipit: *Ea quæ panni circulum* &c.

Johannes Damascenus. Dominus noster Jesus Christus, qui pro nobis de cœlo descendit, debens voluntariam pro nobis suscipere mortem, nocte, qua se ipsum tradebat, in cœnaculo, novum testamentum disposuit sanctis suis discipulis & apostolis, & per ipsos omnibus, qui in eum credent. Et *infra.* Panis autem & vinum assumitur. Novit enim Dominus humanam infirmitatem. Ad multa enim, quæ non secundum consuetudinem frequentata sunt, avertit, anxiatur. Assveta enim condescensione utens, per assveta naturæ facit quæ supra naturam. Et quemadmodum in baptismate, quia consvetudo est hominibus aqua lavari & oleo ungi, conjugâvit oleo aqvæ gratiam spiritus sancti, & fecit illud lavacrum regenerationis: Ita consuetudo est hominibus, panem comedere & aquam & vinum bibere. Conjugavit ejus Deitatem, & fecit ea corpus & sanguinem ejus, ut per assveta & secundum naturam sunt & fiunt. Et *infra.* Communio autem dicitur & est vere, propterea, qvia communicamus nos per ipsum Christo, & qvia participamus ejus carne & Deitate, & quia communicamus & unimur ad invicem per ipsam. Qvia etiam ex uno pane assumimus omnes unum corpus, & unum sanguinem, ad invicem membra generamur, concorporati Christo existentes. *Libro suo IV. Sententiarum c. de Sacramentis, Et communicantes Dei mysteriis.*

Thomas de Aquino. Qvamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Non qvidem hoc oportet ad replicandam passionem Christi, in qua seorsum fuit separatus sangvis à corpore: Unde & in forma consecrationis sangvinis, sit mentio de ejus effusione: Sed hoc est conveniens hujus usui sacramenti, ut seorsim exhibeatur fidelibus corpus in cibum & seorsum sangvis Christi in potum. Tertio qvantum ad effectum est conveniens dare sub diversis speciebus ipsis fidelibus: Eo quod corpus Christi exhibeatur pro salute corporis, & sangvis Christi pro salute animæ. *Part. III. Summæ suæ q. 77. artic. 2.*

Thomas de Aquino. Sangvis Christi dispensatur populis per diaconos. Unde & B. Laurentius dixit B. Sixto: Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sangvinis dispensationem. Tam diaconia sangvinis, quam dispensatio corporis. *P. III. summæ suæ, artic. 3. q. 82.*

Augustinus idem dicit *sermone 2. de S. Laurentio.* Quâ gloria & quantâ, & quantarum virtutum multitudine, quasi florum varietate, distincta sit Laurentii corona, universalis testis est Romana ecclesia. In ipsa enim ecclesia, sicut solet audire, Diaconi gerebat officium: Ibi sacrum Christi sangvinem ministravit, ibi pro Christi nomine sangvinem suum fudit.

Albertus Magnus. Unde Levitic. XI. dicitur, quod animal, quod non ruminat, immundum erit. Hinc est, quod de duobus, qvæ sunt in hoc sacramento materiali cibi & potus, dicitur Esdræ VII. Super triticum & vinum ruminabunt. Hæc enim duo ab omnium fidelium bono, Zach. IX. Quid enim bonum est & pulchrum ejus, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines, hoc est virgineas mentem. Et *infra.* Patet, qvod pro certo peccat, qvi magnum ad corporis sui, & parvum aut nullum ad Dominici sangvinis

gvinis poculum adhibet studium. Qvia Christi sangvis incorporat nos sibi. Et isto elemento, quod fit in cibo & potu corporabilibus, qvando incorporantur corpori, debet fieri in nobis incorporatio ad corpus & sangvinem Christi, quibus nos incorporamur. Omnis autem homo potest advertere, qvam purus, quam saporosus, qnam electus esse debeat, qvi sangvine Christi, qui per omnia corporis ejus membra fluere debet, est incorporandus. *Libr. IV. Sententiarum, Summa De officio missæ, Tractatu, De sanguine Domini.*

Albertus magnus. Omnis sanctus scit, quod sine corpore & sangvine Christi non est vita gratiæ & jucunditatis æternæ. Et *infrà.* Sic igitur corpus Dominicum in forma panis per se in usu istius gratiæ sunt sumenda. Et *infrà.* Ex omnibus istis accipitur, quod Christus sub una specie panis corpus suum tradidit & sangvinem, & sic servandum instituit. Et cùm Christi actio sit nostra instructio, pro certo hæc duo nobis servanda esse præcepit. Et ideò sub una specie corpus & sub altera tradimus sangvinem. *Ubi supra.*

Albertus Magnus. Cùm ergò sic Deus ordinavit & multiplicavit sacramenta, quod omnes gratias sacramentales habeamus in sacramentis, & alia gratia sit per sangvinem redemtionis, quàm communionis per corporis sumtionem, non suffecit in sacramento habere elementum, significans communionem, nisi etiam haberetur elementum significans redemtionem. Et sic Christus hac ratione instituit utrumque. Quod ergò dicitur, quod alterum videtur superfluum, cùm sangvis habeatur in corpore, & corpus in sangvine, dicemus, quod hoc non est verum. Verum quidem est, quod sangvis habetur in corpore, sed non ex virtute sacramentali, sed potius habetur sangvis in corpore ex unione naturali, quà humores, anima autem habetur per unionem potentiæ ad actum. Deitas autem habetur cum istis per unionem gratiæ, cùm nihil horum, nisi corpus habetur ex virtute sacramenti, ad utendum pertinente. Et ideo oportuit, ut esset ibi confectio ex elemento potus, sicut fuit ibi confectio ex elemento cibi. Quia aliter sacramentum in virtute & ratione sacramentali esset imperfectum: Quia non significaret perfectum alimentum. Quia nullum alimentum hominis perficitur sine potu. *Ubi suprà.*

Alanus. Quicunque carnem Christi digne sumserit & sanguinem biberit, infinitam in se dulcedinem Dei degustabit dulcedine animæ &c.

Nicolaus Lira. Bibite vinum, quod miscui vobis, idest, sanguinem meum, sub specie vini, in quo admiscetur aqua. In utraque enim specie communicabant antiquitus fideles. *Super illo Prov. IX. Venite, comedite panem meum, & vinum meum bibite, quod miscui vobis.*

Idem Lira. Probet autem seipsum homo, propriam conscientiam diligenter pensando & emundando, & sic de pane illo edat &c. Tunc potest fructuose hoc sacramentum sumere. Fit autem hic mentio de duplici specie. Nam in primitiva ecclesia sic fidelibus dabatur. Quia utrumque est de perfectione sacramenti, scilicet forma panis & forma vini. Tum quia per utrumque simul exprimitur & perfecte Christi passio, tum quia utrumque significat perfectam refectionem. *Super isto 1. Cor. XI. Probet autem seipsum homo.*

Leo Papa. Hujus adversarii diaboli dolos non solum in illecebris gulæ, sed etiam in proposito abstinentiæ caveamus. Qui enim scivit mortem humano generi inferre per cibum, novit & per ipsum nocere jejunium. Et ad contrarium fraude, famulis utendo Manichæis, sicut impulit, interdicta præsumi, ita suadet concessa vitari. Et *infra.* Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audent interesse conventibus, ita sacratotum sacramentorum communione se temperant. Et interdum ne penitus latere non possint, ore indigno corpus accipiunt, sanguinis autem redemtionis nostræ calicem haurire declinant. Quod ideo vestræ notum facimus sanctitati, ut vobis hujusmodi homines etiam manifestentur in suis judiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, à societate sacra-

sacramentorum sacerdotali auctoritate pellantur. De talibus enim B. Apostolus Paulus, ecclesiam Dei provide monens, dicit: Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam didicistis, faciant, & declinate ab his &c. *In sermone de quadragesima*, quæ incipit; *Prædicatur.*

Innocentius Papa. Simili modo, licet sub altera specie sumatur utrumque, corpus & sanguis, utraque tamen species consecratur, & neutra superfluit. Ostenditur, quod Christus naturam humanam totam assumsit, ut totam redimeret. Panis enim refertur ad carnem & vinum ad animam, quod vinum sanguinem operatur, in quo sedes est animæ. Unde legitur in Levitico: Anima carnis in sanguine est. Moses quippe testatur, quod caro pro corpore, sanguis autem pro anima offeratur. Quocirca panis & vinum in sacrificium offeruntur, quod valet ad tuitionem carnis & animæ. Ne si sub alterutra tantum specie sumeretur, ad alterius tantũ putaretur pertinere salutem. Et quamvis sub specie panis sanguis sumatur cum corpore, & sub specie vini corpus sumatur cum sanguine: Tamen nec sanguis sub specie panis comeditur, nec corp' sub specie vini bibitur. Quia sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur. ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini manducatur: Et si concessibile videatur, quod corpus bibendo & sanguis sumatur. Est ergo modus sumendi carnem & sanguinem, quo neutrum manducatur aut bibitur. *In suo libro de sacramentis.*

Gelasius Papa: Comperimus autem, quod quidam sumta tantum corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, nescio qua superstitione docentur adstricti. Aut ergo integra sacramenta accipiant, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest pervenire. *Majorico & Johanni Episcopis, & de Cons. dist. 2. Comperimus.*

Clemens Papa. Transiturus de mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Jesus Christus, dum tempus passionis suæ instaret, sumta cœna in memoriam mortis suæ instituit magnificum sui corporis & sanguinis sacramentum, corpus in cibum, & sanguinem in potum tribuendo. Nam quoties hunc panem manducamus & sanguinem bibimus, mortem Domini annunciamus. *In Clementina unica De reliquiis & veneratione sanctorum, Si Dominum.*

Urbanus Papa IV. Unigenitus siquidem filius Dei suæ divinitatis nos volens esse participes, naturam nostram assumsit, ut homines Deos faceret. Sanctus est homo, & hoc, quod de nostro assumsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, sanguinem suum fudit, in pretium simul & lavacrum, ut redemti à miserabili servitute diaboli, à peccatis nostris mundaremur. Et ut tanti beneficii jugis in nobis memoria remaneat, corpus suum in cibum, & sanguinẽ suum in potũ sub specie panis & vini sumendum fidelibus dereliquit. *Et legitur in Ecclesia in festo corporis Christi.*

Urbanus in Legenda. Ego, qui vitam æternam habere desidero, carnem ejus veraciter comedo, & sanguinem ejus veraciter bibo, illam, quam traxit de virgine carnem, & illum sanguinem, quem fudit in cruce. Et *infra*: Sicut enim vidua Sareptana quotidie comedebat, & nunquam diminuebatur farina de hydria, & oleum de lecyto: Sic universalis ecclesia quotidie sumit & nunquam consumit carnem & sanguinem Domini Jesu Christi sub diversa specie sacramenti. *Legitur per octavam corporis Christi.*

Urbanus in Legenda: Et quamvis separatim corpus, separatim sanguinem, non tamen bis sed semel Christum accipere fatemur. Sic iste mos ita separatim accipiendi in Ecclesia inolevit, quia Christus in cœna apostolis separatim dedit, ut per hoc intelligerent, se animæ & corpori Christi debere conformari. *Dominica infra octavam corporis Christi.*

Ecclesia. Non solum corpore epulemur agni, sed etiam inebriemur sanguine. Hujus enim tantummodo cruor

or non creat periculum bibendi, sed salutem. *In cantico, Rubrica, S. Ambrosii: Exultet jam Angelica turba cœlorum.*

Ecclesia. Hæc domus tibi rite dedicata noscitur, in qua populus sacrum corpus sumit, bibit & vorat sanguinis haustum. *In hymno dedicationis vespertino S. Ambrosii.*

Ecclesia. Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & tristibus sanguinis poculum, dicens: Accipite, quod trado vasculum, omnes ex eo bibite. Sic sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant & dent. *In hymno corporis Christi sacris solemniis.*

Ecclesia. Quibus sub bina specie carnem dedit & sanguinem, ut duplici specie totum cibaret hominem. *In hymno: Verbum supernum, In completorio corporis Christi &c.*

Wilhelmus de monte Laudunò. In hoc sacramento Christus fuit sacerdos, in eo, quod confecit. Item fuit sacrificium, eo, quod corpus suum sacrificavit. Item minister, in eo, quod ministravit apostolis. Apostoli vero primo fuerunt laici, in laicali persona communionem percipiendo. Item Christus ibi fuit præsens, in eo, quod apostolos ordinavit in sacerdotes, dum dixit: Hoc facite in meam commemorationem. *Capitulo, cum Martha.*

Idem: Recipiendo corpus totam veritatem recipit, non totum sacramentum. Ideo in multis locis communicatur cum pane & vivo, in toto sacramento. *In suo libro sacramentali, ubi supra.*

Gregorius. Multi secularium hominum cum plus sacerdotum vitam quam suam discutiunt, in magnum contemtionis sacramentorum crimen incurrunt. Et *infra.* Unde fit, ut non solum ab eis dicta respuant, sed quod deterius est, divina mysteria ab eis audire contemnunt. Unde nec corporis communionem aut sanguinis Domini nostri Jesu Christi, eorum ministerio confecta, assumunt, putantes, quod illorum fiat officio, quorum vita oculis eorum videtur ignobilis. Et *infra.* Sunt autem sacramenta, baptisma, chrisma, corpus & sanguis Christi. Quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius salutem eorundem sacramentorum operatur. Unde à secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur. Quæ ideo fructuose penes ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens spiritus eundem sacramentorum latenter operatur effectum. Cujus panis & calicis sacramentum græce *Eucharistia* dicitur, Latine *bona gratia* interpretatur. Et quid melius corpore & sanguine Christi? Sive ergo per bonos, sive per malos ministros intra ecclesiam dispensetur, Sacramentum tamen est. Et *infra:* Polluimus itaque panem, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus. *Et habetur in Canone* 1. *q.* 1. *Multi.*

CAP. III.

Conclusiones Jacobelli De necessaria communicatione plebis sub utraque specie.

EX præmissis sacris scripturis, sanctorum Doctorum, sacrorum canonum, & ecclesiæ universalis institutis & decretis, patet luce clarius, qvod *communio* venerabilis *sacramenti corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi sub utraq; specie panis & vini cunctis Christi fidelibus ministranda est.*

Verbum est, lex, veritas, institutio ac evangelium Domini nostri Jesu *Christi*, suorum *Apostolorum & ecclesiæ primitivæ* quod *per nullam* ecclesiæ Romanæ *consuetudinem* quantumcunque vetustam, vel cujuscunq; Romani Pontificis seu *concilii* & synodi *constitutionem*, sententiam vel *decretum*, *potest infringi*, tolli, vel quovis modo cassari & annullari. Ut constat ex fide catholica & auctoritatibus infra supra dictis &c.

CAP.

CAP. VII.

Quod autoritas scripturæ præferenda sit omni consuetudini.

E*Saiæ XL.* Vox Domini dicentis, Clama. Et dixi, quid clamabo? Omnis caro fœnum & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum & occidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Verè fœnum est populus. Exsiccatum est fœnum, & occidit flos, verbum autem Domini stabit in æternum.

Eccles. XL. Non contradicas verbo veritatis, ne de mendacio in eruditione tua confundaris.

Psalm. 118. In æternùm, Domine, permanet verbum tuum in cœlo. Et *iterum:* Pax multa diligentibus nomen tuum Domine, & non est illis scandalum.

Luc. XVI. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Matth. V. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant &c.

Luc. XVI. Facilius est cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.

Secundi Esdræ IV. Omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipsam benedicit & omnia opera moventur & tremunt eam, & non est in ea quicquid iniquum. Iniquus vero vir, iniquæ mulieres, & iniqui omnes filii hominum, & iniqua omnia illorum opera & in eis non est veritas, & in sua iniquitate peribunt. Veritas autem manet, & invalescit in æternum, & vivit & obtinet in secula seculorum, nec est apud eum accipere personam, neq; differentias. Sed quæ justa facit omnibus injustis ac malis. Et omnes benignantur in operibus suis, & non est immundicia, iniquum, & fortitudo & regnum & potestas & majestas omnium errorum.

Urbanus Papa. Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse novas leges condere. Quod & nos non negamus. Sed & valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quod novas leges potest condere, ubi Evangelistæ aliquid nequaquam dixerunt. Ubi vero aperte Dominus & ejus Apostoli & consequentes sancti Patres sententialiter definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere, quod absit, intenderet, non sententiam dare, sed magis error convinceretur. *Ponitur in canone 25. q. 1. Sunt quidam.*

Symmachus in sexta synodo. Nulli licet Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra divina mandata præsumere, nec quicquam, quod evangelicis, Propheticis aut apostolis regulis obviaverit, agere. *Ponitur dist. 10. Non licet.*

Augustinus. Quæ contra mores sunt hominum, hujusmodi, sicut flagitia pro morum diversitate sunt vitanda, ut pactum inter se gentis aut civitatis consuetudine aut lege firmatum nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis est enim omnis pars universo suo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, & nunquam ibi factum est, tamen mox faciendum. Et si omissum est, instaurandum. Et si statutum non erat, instituendum est. Et *infra:* Generale quippe pactum est societatis humanæ, obtemperare Regibus suis. Quanto magis Deo regnatori universæ creaturæ ad ea, quæ jusserit, sine dubitatione serviendum est. Sicut enim in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus. *Libr. Confess. 2. Et habetur in canon. dist. 8. Quæ contra mores &c*

Augustinus: Qvi contemta veritate præsumit consvetudinem seqvi, aut circa fratres invidus est & malevolus, à qvibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, inspiratione cujus ecclesia ejus instruitur. Nam Dominus in evangelio, Ego sum, inqvit, veritas. Non dixit, consvetudo, sed veritas. Qvia & Petrus, qvi circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Chri-

Christus veritas sit, magis veritatem, qvam consvetudinem seqvi debemus. Qvia consvetudinem ratio & veritas semper excludit. *Libr. de baptismo parvulorum. Et ponitur octava dist. c. 6. Qui contemta* &c.

Augustinus. Frustra, inqvit, qui ratione vincuntur consvetudinem nobis objiciunt, qvasi consvetudo major sit veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod melius à spiritu sancto revelatum est. Hoc plane verum est, quia ratio & veritas consvetudini præponenda est Sed si consvetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retinere. *Libr. IV. de baptismo parvulorum.* Et ponitur 8. *dist. Frustra.*

Gregorius VII. Et consvetudinem fortassis opponas, advertendum est, qvod Dominus dicit: Ego sum veritas & vita. Non dicit: Ego sum consvetudo, sed veritas. Et certe ut B. Cypriani sententia utamur: Qvælibet consvetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda. Et usus, qvi veritati est contrarius, est abolendus. *Et ponitur dist. 8. Si consvetudinem* &c.

Isidorus. Si is, qvi præest, fecerit aut cuiqvam qvod à Domino prohibitum est, facere jusserit, vel quod præceptum præterierit, aut præterire mandaverit, S. Pauli sententia ingerenda est: Etiamsi vobis nos aut angelus de cœlo evangelizaverit, præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema sit. *Habetur XI. q. 3. c. 101. Si is qui* &c.

Isidorus. Si quis prohibeat vobis, quod à Domino præceptum est, vel rursum imperat fieri, quod prohibet Deus, execrabilis est omnibus, qui diligunt Deum. Et *infra:* Is, qvi præest, si præter voluntatem Dei, aut præter qvod in sacris scripturis evidenter præcipitur vel dicit, vel aliqvid imperat, tanqvam falsus testis Dei & sacrilegus habeatur. *Et ponitur XI. q. 3. c. 101. Si iiqui.*

Gregorius IX. Cum tanto sint graviora peccata, qvanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit, naturali juri, id est divino, cujus transgressio periculum salutis inducit, qvacunqve consvetudine, quæ dicenda est in hac parte verius corruptela, aliqvatenus posse derogari. Licet enim longæ consvetudinis non sit levis auctoritas, non tamen est usqve adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare &c. *Extra de consuetudine, capitulo ultimo.*

Augustinus. Qvis nesciat sanctam scripturam Canonicam, tam novi quam Veteris testamenti, certis terminis suis contineri, eamqve posterioribus omnium episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & diiceptari non possit, utrum verum vel rectum sit, qvicqvid in ea scriptum constiterit esse? Episcoporum autem literas, qvæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, decentemque prudentiam, & per concilia licere reprehendi, siquid in eis forte à veritate deviatum est? *De unico baptismo L. 2.* Et habetur *dist. 9. Quis nesciat.*

Augustinus: Noli meis literis qvasi canonicis scripturis inservire. Nam in illis, N. & V. T. libris, quod non credebas, cum inveneris, incubans, crede, in istis autem, quod certum habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere. *In prologo l. 3. de Trinitate.* Et ponitur 9. *dist. Noli meis.*

Cyprianus. Consvetudo, quæ apud quosdam irrepserat, impedire non debet, quo minus veritas prævaleat & vincat. Nam consvetudo sine veritate erroris vetustas est, propterea relicto isto errore seqvamur veritatem. Et ignosci potest simpliciter erranti. Sicut de se ipso dicit B. Paulus: Qui primo fui blasphemus persecutor & injuriosus. Sed misericordiam meruit, quia ignorans fecit. Post inspirationem vero & revelationem factam qui in eo, quod erraverat, perseverat prudens & sciens, jam non in venia ignorantiæ peccat. Præsumtione etenim & qvadam obstinatione nititur, cum ratione superetur. Et *infra:* Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid

quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante nos omnes est, fecit, Christus. Neque enim hominis consvetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Cum per Esaiam Prophetam loquatur Deus, XXVIII. c. Sine causa colunt me, mandata & doctrinas docentes hominum & sequentes. Et *ponitur dist.* 8. *c.* 8. 9. *Consuetudo* &c.

Nicolaus Papa. Mala consvetudo non minus quam perniciosa corruptela vitanda est. Qvæ nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis capitur vel assumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præsumtiones, celerrime, non compressæ, pro legibus venerari & privilegiorum nomine perpetuo celebrari. *Et ponitur dist.* 8. *Mala.*

Innocentius, In concilio generali. Qvoniam omne quod non est ex fide peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absqve bona fide præscriptio, tam canonica qvam civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogatum, quæ absque mortali peccato non possunt observari. *Exrtavagan. De Præscriptionibus, Quoniam.*

Gratianus. Constitutiones quæque & consuetudines quæcunque, vel ecclesiasticæ vel seculares, si divino juri contrariæ probantur, penitus sunt excludendæ. *Ponitur dist.* 9. *c. ultimo.*

LIBER II.

MAURITII DE PRAGA
Prof. Theol. in Const. Concilio præsentis,
RESPONSIO
ad illam Demonstrationem
JACOBI DE MISA,
De Communione laicali sub una.
In Constantiensi Concilio publica illius autoritate edita.

CAP. I.

Præliminaris Responsio ad superiores Jacobelli conclusiones de necessitate communionis laicalis sub utraque.

SEquuntur super his auctoritatibus auctoritates, solutiones & conclusiones, editæ, & *per concilium Constantiense approbatæ*, quod laici non communicentur sub duplici specie.

Vid. supr. c. 1. 2. *Compilator hujus libelli*, postquam præmisit multas auctoritates Bibliæ, sanctorum, & aliorum Doctorum, sonantes *de communione fidelis populi sub utraque specie panis & vini*, ultra medium *libelli* posuit verba propria in hac forma, quæ sequitur: *Ex præmissis sacræ scripturæ, sanctorum Doctorum, sacrorum canonum autoritatibus &c.* *Vid. supr. c.* 3.

In quibus verbis innuit *duas conclusiones. Prima*, Quod est de necessitate salutis & de præcepto Christi & ejus institutione, populos fideles communicare sub utraque specie.

Secunda. *Non potuit, nec potest, aut poterit tollere, aut annullare seu cassare constitutio summi Pontificis, aut decretum sacri concilii generalis, aut consuetudo quæcunque ecclesiæ universalis.* *Vid supr. c.* 23.

Et quia istæ *duæ conclusiones* prætensæ sunt erroneæ, & doctrinis sanctorum patrum & Doctorum, ac rationabili consvetudini ecclesiæ, imò & *determinationi sacri generalis Constantiensis concilii contrariæ:* Ideò ne harum auctoritatum occasione simplices aut minus docti fortè in hunc errorem deducantur, expedit ipsis *auctoritates exponere* & ad quamlibet *respondere* sigillatim: Isto ordine servato, quod primò ponatur pri-